

paulo post sequebantur binæ, quas ipse Præses in
Auditorio Minore habuit, de Asphaltite s. mari
falso, occasione dicti Gen. XIV, 3. A. MDCCVI.
Et deinde iterum bis cathedram concendit su-
periorem, atq; de Calceis Christi ad loc. Matth.
III, ii. duas defendit disputationes. Eodem anno,
consentiente Ampliss. Facult. Philosoph. a B. C.S.
Schurtzfleischio eo tempore Decano, primo
Decanatus illius mense, inter Adjunctos Facult.
Philosoph. receptus est. Quem locum disputa-
tione solenni de Sponsoribus in baptismo Vete-
ris Ecclesiæ, in Auditorio Majori vindicavit.
Ceterum binas quoque recitavit Orationes, u-
nam funebrem in obitum B. D. Gottlobii Fride-
rici Seligmanni, Concionatoris Aulici Supremi
& Consiliarii Ecclesiastici, in Auditorio Theolo-
gico. Cujus singulares dotes in Summo Reve-
rendo Pippingio nobis tandem felicissime resti-
tutas esse maximopere lætamur. Alteram
cum *Serenissimus Borussorum Rex, Fridericus,*
cum Serenissima Duce ac Domina, *Sophia*
Ludovica, ex Domo Mecklenburgica Propagi-
nis Sverinensis nata, nuptias auspicatissime cele-
braret, quæ oratio in templo arci conjuncto so-
len-